



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologiae Mysticae Sive Exercitiorum Spiritualium Admodum Reverendi Patris P. Aloysii Siderei, Alias Vincentii Caraffa, Societatis Iesv Praepositi Generali, Tomus ...**

ex Italico Latino recenter idiomate opera et studio fidelissimi cuiusdam  
interpretis donatus

Peregrinus terræ. Fasciculus Myrrhæ Siue Considerationes Variæ Super  
Plagas Et Vulnera Christi D.N. Itinerarium. Seraphinus. Civis coeli

**Caraffa, Vincenzo**

**Coloniae Agrippinae, 1660**

Paradisus, Opus amoris. Gradus 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49469](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49469)

PARADISUS,

*Opus amoris.*

XCI.

*Opus amoris caeleste, cum despectu rerum  
terrenarum.*

**F**ecerunt civitates duas amores duo : terrenam a. S. Aug. de  
mor sui usque ad contemptum DEI : caelestem amor Civit. l. 14.  
Dei, usque ad contemptum sui. Duo amores diversi, c. 17.  
amor sui ipsius & amor Dei, duas diversas fundant  
civitates, terrenam unam, caelestem alteram : amor  
sui ipsius usque ad contemptum Dei aedificat civitatem  
Babylonem Inferni : & amor Dei usque ad despectum  
sui ipsius aedificat Jerusalem caelestem. O Amor Di-  
vine, Architecte caelestis, beatus qui tecum vivit,  
ac indissolubili vinculo se tecum unit ! Tu construis  
fundamenta civitatis Dei, erigis muros, cooperis  
tectum, & inestimabilibus Gloriz thesauris adornas  
conclavia.

XCII.

*Opus amoris, in pectore Dei.*

*Charitate perpetua dilexi te. Amore perpetuo ab Jerem. 31.*  
aeternitatis principio Deus dilexit animas nostras,  
disponens easdem aeterna donare beatitudine in  
communicatione & participatione suae Gloriz.  
Gaudebat in seipso Deus, tanquam infinito infi-  
nitatum deliciarum paradiso, absque ulla creatura,  
K 4 quando



quandò amor sui ipsius communicativus alium operans formavit paradysum in Gloria creata Sanctorum & Gloria increata Dei redundante. Benedictus sit semper ætæ & Divinus amor, qui tantum se impendit bono promovendo.

## XCIII.

*Opus amoris, in corde Christi.*

Idem amor, qui tantam adhibuit diligentiam pectore DEI, extremum adhibuit conatum in corde Christi: hunc è coelo traxit in terram, eum vestivit, subjecit pœnis, tormentis, aliisque miseriis & calamitatibus: &, ut uno verbo dicam, exposuit eum gentium ludibrio & opprobrio, affixit Crucis, submersit in mari quodam & abyssi profundorum: idque idè, ut nobis mereretur Gloriam satisfaciens peccatorum nostrorum debito. Amorem verè interminabilis, amor infinitus, sine termino, sine modo.

## XCIV.

*Opus amoris in visceribus Mariae Virginis.*

*Luc. II.* *Beata viscera, qua portaverunt: ubera, quæ lactaverunt.* Divinus amor ultimam suam quietem operans in beatis illis visceribus, quæ portaverunt, & in sanctis illis uberibus, quæ lactaverunt Verbum in carnem Deum Hominem, Filium naturalem æterni Patris. Quamobrem si peccator abusus fuerit misericordiam Dei ac spreverit Crucem & Sanguinem Salvatoris nostri, ut propterea vereatur accedere Christum, recurram ad Beatissimam Virginem, & speret in materna viscera eius. *S. Ephrem.* Unde meritò nuncupatur: *Spes desperantium.* Et ob peccatorum tuorum multitudinem desperatum esse existimes, pone nihilominus spem tuam in Maria, & salvus eris.



XCV.

*Opus amoris, in comitatu timoris.*

Duo sunt fratres sanctæ charitatis, sanctus amor & sanctus timor Dei: ille est frater major, hic minor. Major, nempe, amor erigit & extollit animam ad cælum; at quia corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, S. Bern. vocat in auxilium suum sanctum timorem, qui est *serm. 51. in* minor. Et hic est securus animæ status, quiescere in *Gant.* sinu charitatis inter brachia timoris & amoris. *Læva ejus sub capite meo.* puta, læva sancti timoris: & *dextera Capit. 2.* illius, nempe sancti amoris. *amplexabitur me.* Paradisus igitur est opus amoris, sed in comitatu & societate sancti timoris.

❦ : ❦ : ❦ : ❦

## PARADISUS,

*Memoria necessaria.*

XCVI.

*Memoria necessaria, inducens affectum ad cælum.*

**O**culus meus, memoria mea: Cogitare de Sanctis S. Bern. Aliquo modo eos videre est: & hanc memoriam affectus cordis comitatur & amor. Hæc igitur est via, qua Sanctis nostrum cor collocemus in cælo, ibidemque affigamus affectum: quia amor non est in incognitum, sed in præcognitum: & possumus amare invisam, non verò incognitam. S. August. Amor bonum, quod non cognoscit, amare nequit, bene quidem illud, quod cognoscit. Et tamen si bonum, quod non videtur oculo corporeo, amari possit; mini-